



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Parnassus Catholicus Sive Succincta Quorundam inter Religiones modernas discrepantium Dogmatum Poëtica enodatio**

**Mertz, Johann Wilhelm**

**Viennae Austriae, 1679**

Reverendissime, Et Celsissime Princeps, Domine Clementissime.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9862**

REVERENDISSIME, ET  
CELSISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME.



*In multumq; & merito dubitare  
debui, sæpiusq; deliberare, utrum  
hunc PARNASSUM CATHOLI-  
CUM in publicum edere, & typis evulgare  
operæ pretium futurum esset? præsertim cùm  
ita mihi seriò rem perpendenti quamprimùm  
obvium erat obstaculum non leve, imperfe-  
cta nimirùm Theologiæ Scholasticæ notitiâ,  
quâ tanquam fundamento nititur hic tracta-  
tus; Verùm isthunc ausum sæpiùs olim re-  
petita controversorum articulorum ver-  
balis disceptatio promovit, ut quosdam di-  
scre-*

screpantes fidei nodos, quantum per otium  
Juris publici & privati licuit, succinctè & in  
scriptis enodare decreverim. Quantumvis  
autem fluctuantis animi indicium cogitatio-  
nes ita proderent, dubiamq; reddere mentem vi-  
derentur; majores tamè curæ, & multò gra-  
viores nutantem animum obruere, magisq;  
anxium effecisse deprehēdi, in eo scilicet, quem  
Patronum huic Opusculo contra acerbos ca-  
lumniantium morsus, & certissima adversa-  
riorum tela quærerem, cujus autoritate so-  
lâ & tutelâ inconsideratum impetum cohibere  
liceret? Et ecce quamprimùm summum Pa-  
trocinium in te REVERENDISSIME & CEL-  
SISIME PRINCEPS & sub umbrâ mitræ tuæ  
Principalis liberaliori fortè fiduciâ ductus  
mihi polliceri potui, ut Augustissimo Nomi-  
ni

ni tuo parvum hunc controversiarum fasci-  
culum inscribere eò minùs dubitaverim: Po-  
tissimùm cùm non ignorarem, quam & orbis  
non ignorat, perfectissimam REVERENDIS-  
SIMÆ CELSITUDINIS TUÆ rerum omni-  
um cognitionem, atq; doctissimum earum in-  
tellectum. Stimulos maximè addidit præter  
incomparabilem istam sacram profanamq;  
doctrinam, REVERENDISSIME & CELSIS-  
SIME PRINCEPS, tuum in Poësi & Versibus  
delectamentum, quod jam pridem toti orbi in  
scriptis tuis præclaris in ævum duraturis  
summo cum applausu patefecisti, ut meritò  
hos labores tuos doctissimi quique & fortè  
jam extincti, suspexerint, præsentis mirentur,  
posteritas autem admirari non desinat.

His itaq; adminiculis fretus ad REVE-

REN-

RENDISSIMAM CELSITUDINEM TUAM  
*majori cum fiducia accedo, & hunc PAR-*  
*NASSUM CATHOLICUM, quem sub CEL-*  
*SISSIMO NOMINE TUO vulgari gratiosis-*  
*simo nutu permittes, apud benignitatis tue a-*  
*ram in signum devotissimi animi depono, &*  
*temeritatis hujus veniam insuper quam de-*  
*missimè precor. Vive & vale, REVEREN-*  
*DISSIME & CELSISIME PRINCEPS, Vive*  
*DEO, Vive PATRIÆ, & Vive TERRIS Di-*  
*TIONIS TUÆ, Vive omnibus fideliter te Co-*  
*lentibus, & Vive mihi meisq; per multos &*  
*Nestoreos annos, favoreq; Principali com-*  
*plectere.*

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS  
TUÆ

*Devotissimum obsequentissimum*

JOANNEM WILHELMUM MERTZ à Quirnheim,